



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Sect. 1. Exponitur adversarii sensus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

beatitudinem objectivam, sive ad DFUM ut nobis bonum. Unde, sicut quando amo media, quia bona ad finem, amo præcipue finem; ita, quando amo per spem Theologicam illa bona extra Deum, amo etiam, & quidem præcipue Deum. Sic Div. Thomas 2. 2. quæst. 17. art. 2. ad 2. spes quidem principaliter respicit beatitudinem æternam; alia verò, quæ peruntur à DEO; respicit secundariò in ordine ad beatitudinem æternam; sicut & fides principaliter quidem respicit Deum, & secundariò respicit ea, quæ ad Deum ordinantur.

87. Hanc quippe doctrinam sæpe repetit Divus Thomas, constanter docens, nullum objectum creatum attingi à spe Theologica, nisi in ordine ad DEUM, ex quo spes habet, quòd sit virtus Theologica. Quapropter 2. 2. quæst. 17. art. 5. cui hunc titulum præfixit, utrum spes sit virtus Theologica, hoc primum inter alia argumenta sibi objicit, & dissolvit. [Ad primum sic proceditur; videtur, quòd spes non sit virtus Theologica; virtus enim Theologica est, quæ DEUM habet pro objecto; sed spes non solum habet DEUM pro objecto, sed etiam alia bona, quæ à DEO obtinere speramus; ergo spes non est Virtus Theologica. Huic

autem argumento ita responderet. Ad primum ergo dicendum, quòd quæcunque alia spes adicipi exspectat, sperat in ordine ad DEUM; sicut ad ultimum finem, vel sicut ad primam causam efficientem.] Quibus in verbis tota nostra doctrina expressè continetur. Quare, si aliquis actus spei non respiceret DEUM, ut objectum formale quod, sed tantum, ut objectum formale quo, non esset actus spei Theologicæ quæ talis; cum se haberet respectu DEI eodem profusus modo, ac actus Religionis, ut constat ex dictis à num. 59. de actu virtuoso attingente motiva formalia specificativa duarum virtutum, qui dicitur actus mixtus; idem suò modò dicendum est, ac de actu simplici virtutis. Exinde doctrina nostra non tantum communi Theologorum suffragiò comprobatur, verum etiam à Div. Thoma, & Eximio Doctore expressè defenditur. Cæterum, quamvis hoc evidens sit, Recentior quidam alià viâ litem intentavit, docens, Eximium Doctorem sententiam hanc nostram, quam olim tradiderat, postea retractasse, proindeque non pro nostra, sed pro opposita citandum esse sententia. Quàm falsò Recentior iste id asseruerit, ostendam disputatione sequenti, quæ sit

### DISPUTATIO III. DE MENTE EXIMII DOCTORIS.

88. Hanc controversiam ingredior, ut morem geram cuidam amico P. Francisco Suario, ejusque doctrinæ jure, meritoque additissimo, qui, cum audivisset, nescio quem Theologum Recentiorum, indubitanter asserentem, Eximium Doctorem retractasse sententiam illam, quam disputatione præcedenti propugnavimus, quamque olim ille docuerat, defendens actum Divinæ fidei attingere ex necessitate Divinæ revelationem, ut quod, eam scilicet credendò, rem penitus incredibilem sibi visus est audire, cum ad ipsius aures pervulgatus hac de re rumor pervenit. Quare instanter à me petiit, ut & constantiam Suaristicæ doctrinæ, & palmarem hujus Recentioris æquivocationem palam facerem; quod libenter mihi præstandum suscepi, tum amici fretus petitione, tum maxime reverentiâ Eximij Doctoris, cujus doctrinæ major est firmitas, & constantia, quam quæ à quolibet, præsertim moderno, argui queat.

#### SECTIO I.

##### Exponitur Adversarij sensus.

89. Hic ergo Recentior Theologus in suis dictis de fide sic habet: cæterum, quòd ipse Suarez non modò instantiam de amore mediocrum, & finis, sed alias quoque à nobis allatas adamussim quadrare ad casum nostrum censuerit, imò & cum iis pariter expressè docuerit

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

contradictoriam ejus propositionis, quam olim Junior dictaverat, & quam nos in præsentem impugnamus sub illis iisdem terminis, sub quibus eam hic posuerat, ac propugnaverat disp. 3. sect. 12. præsertim num. 9. videlicet: *In omni assensu fidei infusa, qua credimus mysterium aliquod in particulari, in se, & quasi per se primò credimus eadem fide Deum revelasse tale mysterium*, quòd inquam hujus contrariam docuerit sententiam, & nobiscum censuerit meridiana luce clariùs patebit cuicumque legenti ejus Tomum in 3. partem, non quidem in primis, & secundis ejus editionibus, sed in postrema Lugduni edita sumptibus Horatij Cardon 1614. & ab ipso Auctore multis in locis emendata, & plurimum aucta, & locupletata, ut in eorum fronte legitur, & 1. tomo in 2. ad lectorem.

Ille ergo lib. 1. ut ab acutis, doctisque (sic eas in prædicta admonitione ipse Suarius ingenue nuncupat) objectionibus Vasquez in lib. de cultu adorationis factis prædictam suam doctrinam de illa imaginè adoratione tueretur disputat 54. sect. 5. sic §. incipit & prosequitur. Primò probatur ex generali modò operandi nostre voluntatis, & intellectus: nam potest quilibet ex his facultatibus tendere in aliquod materiale objectum propter aliud ut quo, seu ut formale, etsi actu non tendat in illam rem, quæ est objectum formale tanquam in rem, seu materiam, circa quam proprie versatur, quæ solet

Bbbb 2

dis

dici objectum quod; ergo in præfenti intentio adorandi potest versari circa imaginem ut objectum quod, seu ad rem adoratam propter exemplar ut rationem adorandi, quamvis directè non intendat adorare ipsum exemplar, ut rem directè adoratam. Ant. probatur exemplis cum in intellectu; nam fidelis assentitur veritatibus fidei, nixus Divino testimonio, & veritati infallibili ejus ut rationi formali, quamvis eo actum, quo credit rem revelatam, non credat, vel DEUM esse primam veritatem infallibilem, vel DEUM hoc revelasse. Idem dicunt Dialectici de actu scientiæ, qui innitur præmissis, ut rationi assentiendi, quamvis non feratur directè in præmissas ipsas tanquam in objectum scitum, seu judicatum per illum actum; tum & in actibus voluntatis, & in amore, quo amatur una res propter alteram, & propter rationem amandi extrinsecam, qualis est amor, quo amatur proximus propter DEUM; item in electione medij propter extrinsecum finem, quæ directè non versatur circa finem ipsum volendò, sed tantum in obliquo illum respicit tanquam rationem volendi mediatam; sic ergo contingere potest in adoratione imaginis propter exemplar. Hactenus ille.

91. Cui statim alia subnectit verissima, & notatu dignissima circa eos, qui nostris evidentissimis instantiis adacti fortè illas conabuntur, sed incautum, evadere adducendò quasdam inanes differentias inter eas instantias, & casum nostrum; nec refert, ait Suarez, differentias veluti materiales assignare inter hunc actum, & cæteros, v. g. inter electionem medij, & voluntatem adorandi imaginem: non enim contendimus hunc actum esse in omnibus ejusdem rationis cum cæteris; sed argumentatur à paritate rationis: ostensa enim hac rationis paritate in omnibus citatis exemplis producit ulteriorem, & generalem rationem à priori omnibus illis communem, quia videlicet ait, potest intellectus actu cogitare ipse, & proponere voluntati rem ut affirmabilem, vel amabilem ratione alterius, ad quam habet habitudinè; nam considerando rem illam, quæ est terminus talis habitudinis, ut per se affirmabilem, vel amabilem; cum prior consideratio nõ pendeat intrinsecè ex hac posteriori, satis est, quòd illam essentialiter supponat; ergo tam intellectus, quam voluntas potest tendere directè in eam rem; quæ propter aliam affirmabilem, vel amabilem judicatur non tendendò directè in alteram, quæ est terminus illius habitudinis, sed tantum obliquè, vel in rationem tendendi in alteram.

92. Porro idem Suarez tom. 3. in 3. part. isp. 80. sect. 8. ubi docet, quòd adoratio, quæ in septima Synodo ab Anastasio vocatur *emphasis honoris*, ita potest tribui rebus Sacris propter DEUM, ut ille actus adorationis non cadat in DEUM tanquam in objectum, quòd adoratur, sed solum ab eo moveatur, ut à ratione formali eas res adorandi; omnia propterea prædicta exempla, & inter ea primo loco illud de actu fi-

dei, prout à nobis asseritur, quin & eandem rationem generalem omnibus illis communem reperit, & inculcat.

Quæ, cum ita sint, necessariò fatendum est, Suarium quoad præfens punctum progressu temporis mutasse sententiam illam, quam olim suis discipulis dictaverat, & quam nunc impugnamus, prout ea jacet, præferebat num. 10. sect. 10. Cum par sit, non prima, sed ultima, & maturiori adherere. Hæc Recentior ille, contra quæ hæc nostra instituitur controversia, cujus propositum est ostendere 1. quàm aliena sit ab evidentiâ historica, & cronologica dicere, Suarium mutasse sententiam primi, & secundi tomi in tertiam partem in postrema editione edita Lugduni sumptibus Horatii Cardon, quam docuerat Junior in tom. de fide disput. 3. sect. 12. num. 9. 2. quòd hoc idem injuriosum Eximio Doctori, & quòd aliena ab intelligentia doctrinæ illius.

Itaque duo nobis sunt inquirenda, 1. an doctrina, quam Suarius habet in tomo edito de fide Typis data à Jacobo Cardon, ubi disput. 3. sect. 12. num. 9. hæc habet: *In omni assensu fidei in fuisse, quo credimus mysterium aliquod in particulari, ut Deum esse trinum, vel factum esse hominem, & similia intrinsecè, & quali per se primo credimus eadem fide Deum revelasse tale mysterium*, an inquam talis doctrina tradita sit ab Eximio Doctore, non quando senior, sed quando junior, atque adeò, si hæc opposita esset illi, quam de adoratione tradidit tom. 1. in 3. partem editionis anni 1614. dicendum foret, hæc doctrinam de fide docuerit post illam editionem hujus tomi 1. in 3. partem, ideoque dicenda sit hæc ultima Eximij Doctoris voluntas. Cæterum, quòd quaerimus, est, an utraque hæc doctrina aliquam inter se habeat oppositionem, vel an utraque inter se absque ulla oppositione cohaereat. Recentior noster ad utrumque respondet non sine injuria historica veritatis: dicit enim, doctrinam illam de fide traditam esse ab Eximio Doctore, cum junior erat, & non post editionem factam anno 1614. eamque esse oppositam alteri, quam tradit de adoratione, atque in eo tomo edito 1614. retractatam esse ab ipso, quàm falsò utrumque asserat, statim conhibet, utque clarè procedatur, totum negotium in duas tantum assertiones breviter reducam.

## SECTIO II.

### Resolutio difficultatis.

Assero 1. Doctrina, quam Eximius Doctor tradidit in citato tomo de fide, fuit ultimus ingenij sui partus, eamque dictavit in celeberrima Academia Conimbricensi post editionem anni 1614. Probat. & 1. evidenter. Nam Eximius Doctor, ut habetur in libro ipsius vitæ,